



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 56. Ravesteinii Epistola ad Villavicentium contra Bajum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

ipsemet acriter impugnabatur circa <sup>Sæcul. XVI,</sup>  
 suas sententias, quas de Conceptione <sup>A.C. 1565.</sup>  
 Beatissimæ Virginis divulgabat: hic enim Doctor Mariam sine labe conceptam negabat, eo quod nullum hujus opinionis vestigium, nullumque argumentum in Patrum operibus reperiri diceret: hæc autem temeritas graviter offendebat Baji adversarios, hinc ira commoti illum insectabantur, quamvis eum tam circa hanc opinionem, quam circa reliquas non pauci, imo etiam Franciscanorum nonnulli toto studio defendere niterentur: illi tamen, qui ejus sententias damnari petebant, plures propositiones ex ipsius libris decerpebant, easque ipso incio ad Regem Catholicum transmittabant, supplices, ut illas examini subjici juberet.

§. LVI.

*Ravesteinii Epistola ad Villavicientium contra Bajum.*

Die vigesima Novembris Anno priori millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Josephus Ravesteinius Lovaniensis Doctor ad quemdam Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Religiosum nomine Laurentium Villavicientium, qui tum in Hispania morabatur, epistolam transmittit: porro hic idem Monachus olim Lovanii, cum Or-

Sæcul. XVI. dinis sui Generalis Commissarius in  
A. C. 1565. Belgio esset, Doctoratus laurea decora-  
 tus fuerat: ad hunc ergo Ravesteinius  
 perscripsit, questus, quod Joannes Hef-  
 felius, & Michael Bajus nequaquam  
 suos errores deposuissent, imo & Bajus  
 nuperrime librum edidisset, in quo com-  
 munem opinionem de merito bonorum  
 operum impugnaret: „ Post reditum,  
 „ inquebat ille, nostrorum Doctorum e  
 „ Sacrosancto Tridentino Concilio ite-  
 „ rum recrudescunt contentiones in no-  
 „ stris Scholis theologis propter no-  
 „ vas sententias, quas illi boni viri in  
 „ Scholis, uti ante Concilium solebant,  
 „ invehunt, & magna fiducia repudiata  
 „ communi doctrina tuentur, quas eos  
 „ confidebamus mutaturos, & correctu-  
 „ ros, postquam cum viris doctis in Con-  
 „ cilio super eis contulissent: sed intel-  
 „ leximus, eos tanquam securos de sua-  
 „ rum opinionum veritate, de eis ne  
 „ verbum quidem apud illos fecisse. I-  
 „ taque alia ratio quærenda est, qua  
 „ pax, & concordia in nostra Schola  
 „ conservetur, & procuretur. Editio li-  
 „ bro Magister noster Michael receptissi-  
 „ mam doctrinam de meritis bonorum  
 „ operum convellit, non sine stomacho,  
 „ & gravi aliorum reprehensione; quæ  
 „ habet, bona iustorum opera non ha-  
 „ bere rationem meriti de condigno vi-  
 „ tæ

„tæ æternæ, nisi ex eo, quod justifica- Sæcul. XVI.  
 „torum opera non liberi arbitrii tan- A.C. 1565.  
 „tum sint opera, sed Christi, & Spiritus  
 „ejus inhabitantis, justificantis, & eos  
 „super naturam sublimantis, sicut ma-  
 „nifeste Concilium Tridentinum docet  
 „meo quidem judicio, & hæcenus o-  
 „mnes Doctores senserunt, & docue-  
 „runt. „

„In eodem libro docet opera non-  
 „dum justificatorum ante remissionem  
 „peccatorum esse vere meritoria, eo quod  
 „sint conformia legi divinæ, & alia ple-  
 „raque similia. Opinor, vestram Pater-  
 „nitatem vidisse censuram Parisiensium  
 „Theologorum ejus propositiones da-  
 „mnantem, quod opera nondum ju-  
 „stificatorum, habentium tamen fidem,  
 „sint meritoria de condigno vitæ æter-  
 „næ. „

„Item in eodem libro docet, pri-  
 „mum hominem, & Angelum per na-  
 „turam suam promeritos vitam æter-  
 „nam, non per Spiritus Sancti inhabi-  
 „tantis gratiam. „

„In altero libello novam prorsus  
 „disputationem habet de statu primi  
 „hominis, contendens beatitudinem il-  
 „lam, quæ præditus fuit, non fuisse  
 „gratiæ beneficium, sed naturalem, &  
 „pleraque alia. „

H h 3

„Do

Sæcul. XVI.  
A.C. 1565.

„De concupiscentia quoque, de qua  
„olim plurimam contentionem vestra  
„Paternitas audivit, id adhuc docet,  
„quod in renatis lapsis sit proprii no-  
„minis peccatum, quamvis in renatis  
„perseverantibus in iustitia non sit pec-  
„catum. Eximie Magister noster, nisi  
„vir aliquis strenuus remedium adferat,  
„videbis brevi labefactandam opinionem,  
„& gloriam Scholæ nostræ Theologicæ,  
„quæ nunc est florentissima, & celebra-  
„tima per universi Christiani orbis re-  
„giones. „

„Si præsentem cum præsentem commu-  
„nicare consilia liceret, ponerem in de-  
„ liberationem, num consultissimum fo-  
„ret, hos libellos, & propositiones o-  
„mnes, quæ concordiam scindunt gra-  
„viter, sincere collectas ad Regiam Ma-  
„jestatem transmittere, illiusque ince-  
„rissimum erga Religionem studium  
„implorare, ut curet in Academia sua  
„celeberrima Salmanticensi, vel alia  
„quavis, censuram fieri, & hac ratione  
„pacem, & concordiam hujus suæ Aca-  
„demix Professoribus severe indicare. „

„Certe ego promptissimo animo  
„semper parebo Catholicarum Acade-  
„miarum iudicio, & censuræ abjecto  
„proprio sensu. Contentiosarum no-  
„strarum disputationum conscius est  
„Reve-

„Reverendissimus Confessarius (\*) Re- Sæcul. XVI.  
 „giæ Majestatis, & cum dolore animi A.C. 1565.  
 „sui de iis abscindendis, & sarcinda  
 „concordia sæpe mecum Bruxellæ egit:  
 „hujus ergo opera, si adhuc a Con-  
 „fessionibus Regiæ Majestatis est, exi-  
 „stimarem, rem hanc posse feliciter con-  
 „fici. Eximie Magister noster cupio  
 „de hoc consilio vestram sententiam  
 „intelligere, & oro, ut hujus meæ de-  
 „liberationis neminem conscium facias:  
 „haud enim ignorat Vestra Paternitas  
 „miram Tragœdiam adversus me ex-  
 „citandam, si hæc sollicitudo palam fie-  
 „ret. Christus Vestram Paternitatem  
 „diu servet incolumem suæ Ecclesiæ  
 „juvandæ. Vale.

„Datum Lovanii die vigesima No-  
 „vembris anno millesimo quingentesi-  
 „mo sexagesimo quarto.

Postea Ravestenus Baji opera, e-  
 jusque propositiones ad Regem Catho-  
 licum transmittibat, ut eas ab Hispa-  
 niæ Universitatibus examinari juberet,  
 quæ etiam postmodum illas censuris  
 perstringebant, suaque decreta in Bel-  
 gium mittebant.

§. LVII.

(\*) Erat is Pater Franciscus Horantius  
 ex Ordine Fratrum Minorum.

H h 4